

seca ex coexistentia in tempore, ergo æque bene videt illas ut futuras, et non præsentem divina cognitio videndo illas in æternitate, atque seclusa æternitate, solum per hoc quod infinita ejus cognitio amplectatur omne tempus, et videat illam partem temporis pro qua erunt res futuræ. Et sic totam illam rationem et paraturam æternitatis ambientis omne tempus ad probandum quod Deus videt res ut præsentem, et extra causas, et non ut futuras, frustanee adducit D. Thomas, si quidem etiam seclusa æternitate per solam comprehensionem totius temporis Deus videbit res pro tempore, quo existent extra causas, pro illo quidem tempore præsentem, sed modo adhuc ut futuras, et positas in æternitate, æque bene respicit illas ut futuras modo in æternitate, et nondum ut præsentem. Æternitatis ergo mentio omnino vacat in hac solutione, et si in ejus sensu adducitur a D. Thoma omnino impertinenter adducitur, et nullo modo conducit.

XV. Denique, hæc solutio fatetur intuitum divinum modo ferri in res futuras non prout sunt in causis quæ modo existunt, sed prout erunt extra illas in illa parte temporis quo extra illas ponentur, quod etiam intendit S. Thomas, sed qua ratione reddantur intuitive, et non solum intra causas, hoc explicat D. Thomas, quia videt illas ut sunt in æternitate, quia æternitas ambit omne tempus, et sic complectitur etiam illam partem temporis, in qua res illa erit præsentem: in hac autem solutione non explicatur quo medio res illa, et pars illa temporis præsentem reddatur in se, sed solum dicitur quod attingitur a Deo per suum lumen infinitum, a quo quidquid cognoscibile est attingitur. Ad quid ergo deservit æternitas, et ad quid eam adducit S. Thomas si neque se habet ut medium cognoscendi, ne-

que ut rem ipsam futuram præsentem reddens in sua duratione, aut extra causas ponens, neque ut lumen intelligens, aut ut species representans? Ergo hæc solutio ita explicat mentem suam, scilicet quod res videntur ut extra indifferentiam causarum pro tempore quo producantur, quod non explicat mentem D. Thomæ ad quid interponit hic æternitatem, ut ratione ejus res illæ sint præsentem, et non cognoscantur ut futuræ, si ad hoc ut cognoscantur ut non futuræ, seu præsentem nihil conducit, nec in illis quidquam ponit æternitas. D. Thomas autem non solum dicit quod cognoscit res illas non ut futuras, sed præsentem, et extractas a suis causis indifferentibus, sed etiam dicit, quod id habent beneficio æternitatis ambientis omne tempus, alias frustra ad id probandum et explicandum adducit æternitatem. Hoc autem solutio ista non salvat, neque explicat, ergo neque salvat mentem D. Thomæ: videantur plura disputatione illa nona citata, articulo III.

## DISPUTATIO XX.

DE SCIENTIA MEDIA CONDITIONATORUM.

## ARTICULUS I.

*Explicatur nomen, origo, punctusque difficultatis circa scientiam mediam.*

I. Distinguendum est nomen ratioque scientiæ mediæ a ratione scientiæ conditionatorum, et tamquam diversæ difficultates longe inter se distantes reputandæ sunt, an detur in Deo certa scientia objectorum conditionatorum certa et vera, id est, an Deus cognoscat objecta quæ posita aliqua conditione essent

futura licet de facto nunquam futura sint, v. g. si Petrus non fuisset in domo pontificis non negaret Christum, et an detur in Deo scientia media, quam sic primus vocavit Molina, quia eam posuit mediam inter scientiam liberam et necessariam Dei. Revera tamen per illam (quidquid sit de nomine quo nominetur) voluit explicare modum quo Deus cognoscit illa objecta sub conditione futura, quæ absolute et de facto non erunt, quod videlicet Deus illa cognoscit independentem et antecedentem ad omne decretum voluntatis suæ ex sola comprehensione ipsius veritatis talis propositionis, et liberi arbitrii, vel causarum, ex quibus oritur.

II. De primo fuit controversia, nec est alicujus momenti inter auctores an sit neganda, vel ponenda in Deo talium objectorum scientia. Et totum pondus controversiæ, quod a quinquaginta annis paulo minus inter patres societatis et S. Dominici versatur est circa secundum punctum. Scio auctores aliquos magno apparatu congerere testimonia probationesque ad ostendendum Deum illa futura cognoscere, in quibus tantam vim ponunt, ut dicant Thomistas, qui a principio negaverant in Deo esse horum scientiam futurorum, tanta mole et fortitudine argumentorum pressos, dedisse manus, et in eorum castra transiisse, et solum in modo concedendi Deo istam scientiam, nempe an ex decreto Dei libero, an independentem ab illo, nunc occupari, nec parva verborum pompa inanem triumphum de tanta victoria tubicinant, de quo videri potest p. Herice disp. VII, c. VII, et Alarcon tract. de scientia Dei, disput. IV, c. IV, n. V.

III. Et in hac parte studiosus veritatis sciat omnia ista foliorum sonitum esse, et inanes umbras, adver-

tat non aliunde melius elici posse quid controversiæ in hac parte fuerit, et in quo difficultatis nervus positus sit a Thomistis contra Molinam, et alios qui totum fundamentum suæ sententiæ circa infallibilitatem auxiliorum gratiæ ad scientiam mediam quasi ad basim reducunt, quam ex his quæ in talibus controversiis delata sunt, et exposita coram Sede Apostolica, ut ab ipsa determinarentur. Cum enim sanctissimus pontifex Clemens VIII, infatigabili studio ac labore rem hanc decidendam assumeret, varia scripta seu dubia, quæ tamquam controversa tractanda erant, congregationibus coram eo habendis transmittibat, et juxta ea quæ in eis proponebantur, res istæ controversæ tractabantur, in his non invenitur controversia aliqua, vel dubitatio de hoc puncto, an Deus simpliciter cognoscat ista objecta conditionate futura, sed an Deus cognoscat illa certo et infallibiliter ante decretum suum. Id constat ex scripto transmissio a sanctissimo per secretarios congregationis die 15. julii, anno 1604, et fuit scriptum undecimum tenoris sequentis:

*An sit sententia S. Augustini, quod ante decretum absolutum divinæ voluntatis, detur in Deo cognitio certa et infallibilis contingibilium dependentium a causa libera, qualem Molina per scientiam mediam Deo tribuit?*

CLEMENS PAPA VIII.

IV. De hoc autem dubio incæpit tractari et disputari coram sanctissimo, aliquot cardinalibus et censoribus deputatis, 27 octobris ejusdem anni 1604, et fuit congregatio XXXIII, in ordine, duravitque disputatio per tres congregationes. Cur autem per tot congregationes de hoc

puncto scientiæ mediæ actum fuerit, ratio redditur in initio congregationis xxxv, his verbis: « Quare de hoc dubio fuerit per tres congregationes disputatum, causa illa fuit, quod patres societatis directe ad punctum hujus dubii usque in hanc tertiam dicere distulerunt, agentes in prima ut visum fuit, an Deus hæc futura conditionata cognoscat, et in secunda, an certo cognoscat, et in hac tertiâ tractarunt an ante decretum divinæ voluntatis certo cognoscat. Unde incipiens p. Vastida sic proponebat. Illuxit jam, Pater beatissime optata dies ut agam, an detur in Deo certa scientia horum contingibilium ante decretum divinæ voluntatis. Et quidem patres reverendi (signans Dominicanos) pro futuris conditionatis cognoscendis constituunt in Deo decretum quoddam de objecto conditionato, quod vocant absolutum ex parte volentis, etc. » Ita habetur in initio hujus xxxv congregationis. Unde patet illam primam quæstionem, an in Deo sit scientia conditionatorum non pertinuisse ad punctum hujus controversiæ, nec in eo vim aliquam fecisse patres Dominicanos; sed solum in tertio puncto, pro quo tractando totum negotium agebatur, et in eo erat totius disputationis expectatio. Quod etiam in congregatione xxxiii, dixerat sapientissimus, et omni celebratione dignissimus vir m. Fr. Thomas de Lemos, qui pro Dominicanis disputabat. Cum enim Vastida initio congregationis dixisset in illo dubio a sua sanctitate proposito tria proponi, et in tria dividendum esse, ut omnium primo disputetur, an Deus cognoscat hæc futura conditionata. Secundo, an illa Deus certo cognoscat. Tertio, an ista illorum cognitio sit ante actum divinæ voluntatis, vel post illum. Unde de primo puncto affirmabat se disputaturum in præsentis congregatione, et

de aliis duobus in aliis congregationibus. Cum sic inquam proposuisset m. Lemos coram sanctitate sua sic respondit: « Beatissime Pater, ad cujus pedes quæcumque dixerò humiliter suppono, attente considerans omnia, quæ r. pater protulit, hoc unum deprehendi, necdum r. patrem dubio non respondiisse, sed nec difficultatem summitate labiorum tetigisse. Unde ne similis illi existam difficultatis punctum proponam. Basis enim totius doctrinæ Molinæ, sine qua etiam, ut ipse expresse fatetur, omnis ejus sententia penitus evanescit, est illa scientia mediæ, quæ Deo tribuit certam cognitionem contingibilium dependentium a causa libera ante omne decretum absolutum divinæ voluntatis. » Ita habetur in prædicta congregatione xxxiii. Ad hæc in congregatione xxxiv, cum instaret p. Vastida in ea congregatione disputare, an Deus certo cognoscat ista futura, eminentissimus cardinalis de Monopoli illi dixit: « Quod sua sanctitas supposebat quod illa futura certo cognoscebantur, et inquirebat an ante, vel post decretum cognoscerentur certo, et quod oportebat ad hoc tertium venire. » Et idem dicebat archiepiscopus Armacanus: « Quod difficultas erat an ante vel post decretum illa futura cognosceret ipse Deus. » Sed tamen perseveravit Vastida illud prius punctum ibi disputare, et propria difficultas dilata est usque ad sequentes congregationes. Intellexerunt ergo omnes in hoc tantum totam esse difficultatem de scientia mediæ, non in primo.

V. Ex quibus liquido apparet, etiam ab ipso initio hujus concertationis, et quando causa fuit dicta ante summum pontificem, non fuisse punctum difficultatis in hoc, an Deo conveniat, vel non conveniat scientia de futuris conditionatis, cum expres-

se ex parte Dominicanorum fuit contestatum ante summum pontificem, non esse in hoc attactam ejus difficultatem, sed in hoc consistere an cognoscantur ista contingentia futura dependentia a causa libera ante omne decretum divinæ voluntatis. Ad quid ergo tot chartæ consumuntur, et inanis victoria ab aliquibus decantatur ut persuadeatur ignorantibus post rem gestam, causa sua excidisse Thomistas in admittenda scientia conditionatorum, cum in hoc difficultas controversiæ ab ipsis proposita nunquam sita fuerit? Ut ergo omnium oculis veritas rei innotescat, operosius rem gestam a suis intimis fundamentis protuli, et librum congregationum habitarum coram summo pontifice in ista causa summa diligentia conquisivi, ut non amplius ex hac deceptione et ignorantia veritatis contingat aliquos a veritate deviare.

QUID ALIQUI THOMISTÆ NEGAVERUNT DE SCIENTIA CONDITIONATORUM.

VI. Et ex prædictis colligi potest, et amplius statim dicemus, fundamentum et basis sententiæ oppositæ in hac materia non est in eo quod detur, vel non detur in Deo scientia de futuris conditionatis, sed quod Deus cognoscat illa independenter ab omni decreto libero Dei. Circa illam tamen primam difficultatem qualis illa sit, si qui Thomistæ viri doctissimi affirmarunt non dari in Deo scientiam talium conditionatorum certam infallibilem, locuti sunt ex parte objecti materialis, et secluso omni decreto Dei, nunquam tamen concedunt Deo scientiam talium conditionatorum conjecturalem et fallibilem ex parte ipsius Dei cognoscentis. Hoc enim adeo manifestam imperfectionem de se affert

quod nullus nisi dementissimus possit id attribuire Deo. Quod si aliquibus ea sententia attribuitur de scientia conjecturali et fallibili horum conditionatorum simpliciter, et ex parte Dei, illi suppresso nomine citantur a Zumel in tomo de auxiliis, lib. iii, dub. v, et ab aliis. At vero p. Alarcon, disp. iv, cap. iv, num. iv, aliique ex eadem familia plures Thomistas citant nominatim qui doceant hæc futura conditionata contingentia, a Deo non cognosci, cumque passim in Scriptura, et patribus inveniantur plura ex his cognosci, atque prædici, responderunt Scripturam loqui non de cognitione divina certa et infallibili, sed probabiliter tantum, conjecturali et quasi humana, secundum id, scilicet quod ex talibus principiis et antecedentibus oriri solet regulariter, quamvis etiam aliter possit evenire. Citat pro hac parte Ledesmam, Cabrera, Cavazudo, Zumel, et alios inter ignobiliores Thomistas ab ipso deputatos. Citare etiam posset Curielem lib. i controversiarum, contr. vii, art. i, n. xxxvii, et Corneio ad hanc quæstionem xiv, ar. xiii, disput. iii, dub. ii, qui non videbantur admittere scientiam horum futurorum etiam mediante decreto divinæ voluntatis, sed in totum eam denegabant Deo.

VII. Cæterum in materia adeo gravi debuisse auctor iste, et alii non ita festinanter legisse, aut legere omississe auctores, quibus talem imponunt sententiam, et publicis scriptis illis attribuire id quod si verum esset non modicam bilem movere posset etiam bene animato pectori, et in Thomistas illos horrorem incutere, si ita crude difficultatem hanc tractarent, et resolverent, sicut eis attribuitur seu imponitur. In primis m. Zumel. i part. quæst. xiv, art. xiii, disp. viii, concl. i, aperte statuit et affirmat Deum co-

gnoscere ista futura certo et infallibiliter: conclusione autem III, non vult admittere Deum cognoscere illa in decreto aliquo libero circa talia futura, quia existimat ea non cognosci a Deo ut futura, et ridicule poni in Deo decretum de eo quod nullo modo erit: censet autem cognosci ista futura tamquam possible in ideis divinis ante decretum Dei. Postea in tomo de auxiliis, lib. III, dub. V, admittit ista decreta conditionata ut patere potest conclusione II et VI, acriterque impugnat scientiam mediam Ludovici Molinæ, et multus est etiam in impugnanda sententia eorum qui solum conjecturalem horum scientiam Deo tribuebant. Quare in hoc non resipuit Zumel, ut male illi imponit auctor ille, sed si in aliquo resipuit, fuit in admittendis decretis illis conditionatis, quæ prius non admisserat. M. Didacus Nugno Cabezudo I tom. de Sacramentis ad quæstionem LXII, art. V, dub. II, aperte concl. II, sic docet: « Omnia futura conditionata, quæ non accipiuntur in vi consequentiæ et illative, sed per quamdam concomitantiam, non cadunt in scientia Dei prout antecedunt decretum liberum divinæ voluntatis volentis bonum, aut permittentis malum. Itaque cognoscuntur hujusmodi conditionata per scientiam visionis, et approbationis, quæ est scientia libera. » Manifeste ergo concedit ea cognosci a Deo, et quomodo cognoscantur affirmat, scilicet non ante decretum liberum Dei. De conditionatis vero quorum tota veritas consistit in illatione, et non in sola concomitantia dixerat conclusione prima, cognosci a Deo per scientiam naturalem. Et sic nulum locum reliquit pro scientia media internaturalem et liberam. Videndus est etiam in solutione ad XII, ad secunda probationem, ubi hoc ipsum explicat quomodo Deus cognos-

cat ista conditionata, quædam per scientiam naturalem, quædam per liberam, omnia tamen certo.

VIII. Quod attinet ad m. Ledesmam in disputatione II de scientia futurorum contingentium in fine tomi primi de auxiliis, negat quidem conclusione secunda, dari aliqua decreta divina circa omnes combinationes futurorum conditionatorum, et consequenter non sumere Deum certam cognitionem circa omnia illa ex decretissuis. Et dico circa omnia conditionata, nam circa aliqua quæ pertinent ad divinam providentiam, circa hoc universum admittit dari posse hujusmodi decreta, et in illis Deus infallibiliter videbit illa futura, ut docet respondendo ad quartum testimonium Scripturæ circa primam solutionem, §. Nihilominus, pag. 610 et 611. Secundo, docet quod non concessis decretis divinis circa ista futura conditionata, non manent certo cognoscibilia, sed conjecturaliter, aut probabiliter tantum juxta causarum inclinationem. Et sic de illis non cognoscit Deus, nisi istam conjecturalitatem et probabilitatem ex parte objecti materialis, ex parte vero cognoscentis, Deus nescit conjecturaliter, sed certo, quia non scit nisi rem illam ut conjecturalem ex se, et hoc certissimum est, sicut cum videt meam opinionem et objectum opinabile, certo videt me opinari, et opinabilitatem. Unde nunquam concedit m. Ledesma conjecturalem cognitionem Deo ex parte cognoscentis, sed ex parte objecti materialis, ut frequenter ibi repetit, et sæpe se dixisse affirmat pag. 616, col. I. Et in hoc secundo dicto semper convenerunt, et constanter nunc conveniunt Thomistæ, scilicet quod secluso decreto Dei, objecta illa solum manent conjecturabilia in ratione futuri, et scibilia in ratione possibilis. In primo vero dicto an sint ponenda decreta res-

pectu omnium futurorum conditionatorum, vel solum quoad aliqua, varie sentiunt: sed res est parvi momenti, de quo postea. Omnes tamen conveniunt in hoc, quod sine decreto non datur scientia istorum in ratione futuri, quod est tollere directe scientiam mediam.

IX. Quod attinet ad m. Cabrera valde miror pro tali sententia posse adduci, nisi ab illis qui oscitanter, et tumultuarie libros sibi non placentes legunt. Is igitur auctor III parte, quæst. I, art. III, disp. I, §. XXII, num. CCLXXXII, ponit conclusionem, quod futura conditionata, quæ aliquo modo, non tamen infallibiliter connectuntur cum conditione posita, ex vi illis conditionis et connexionis cognoscuntur a Deo probabiliter tantum, secundum efficaciam et inclinationem conditionis positæ.

Hæc sola verba videntur legisse, qui pro hac parte citant Cabreram. Sed debuissent pergere. Addit: « Prima pars intelligitur de cognitione non ex parte Dei cognoscentis, qui omnia certo, et infallibiliter cognoscit, sed ex parte objecti cogniti, et talia futura dumtaxat sunt capacia probabilis cognitionis. » Et infra: « Dixi ex vi talium conditionum, nam eadem futura conditionata posset Deus certo cognoscere ex vi aliarum conditionum, ad quas infallibiliter sequerentur, scilicet ex vi auxilii efficaci, et prædeterminationis, etc. » Et toto numero CCCXXXIII et CCCXXXIV, declarat Deum infallibiliter illa cognoscere in decreto dandi talia auxilia si talis conditio poneretur, non ut illa futura de facto sint, sed ut essent si talis conditio apponeretur; licet numero CCLXXXV, referat aliorum sententiam qui dicunt Deum illa cognoscere in sua essentia ante omnem explicitam determinationem suæ voluntatis, quæ fuit opinio Zumel, eaque postea placuit Henrico de Villegas

in suis controversiis, contr. IV, cap. III et IV. Idem affirmat in tomo de Sacramentis, quæst. LXII, art. I, disp. XII, §. VI, num. CXLVII. Et quamvis sequenti paragrapho, n. CXLVIII et sequentibus dicat valde probabile esse quod cognoscuntur illa futura conditionata ut determinate futura, semper tamen expugnando scientiam mediam, quæ antecedit determinationem voluntatis divinæ, ut asserit ibi numero CLXIV. Ex quibus manifeste patet, Cabreram nunquam negasse cognitionem horum futurorum certam ex parte Dei, licet ex vi conditionis solum conjecturalem secluso decreto, quod ipsum nunc affirmant Thomistæ.

XI. De aliis Thomistis non est ulla dubitatio quod concedant cognitionem certam Deo de istis futuris, supposito tamen decreto, et sine illo reputantur ut solum conjecturalia, ideoque m. Navarrete hic contr. LVI, §. II, dixit, quod si sumatur prædictio istorum futurorum ut cognitio conjecturalis, certissimum est non esse in Deo formaliter. Si vero sumatur pro certa cognitione, dixit ea cognosci non in scientia media, sed in quadam eminentia, in qua illa futura continentur, quam non vult esse decretum formalem in Deo circa conditionata, sed eminentiale seu virtuale decretum, eo quod decretum tale non videtur omnino perfectum et consummatum, sed cum aliqua suspensione conditionis, ideoque negavit esse formaliter in Deo. Sed de hoc postea. Cæteri omnes certam cognitionem horum Deo tribuunt non antecedenter ad decretum Dei, sed eo supposito. Sic doctissimus ille d. Gasparus; Ram. relect. III; Alvarez, lib. II de auxiliis, disp. III; Ripa hic dub. IV; Nazarius hic contr. I, notab. VI; et concl. VII; Gonzalez hic disp. XLVI; Verdu relect. contra scientiam mediam; et communiter alii ex Thomistis.